

DISSERTATIO THEOLOGICA,

DE

METV DIE I

EXTREMAE

APVD HETERODOXOS

AVT INTEMPESTIVO

AVT NVLLO,

AD

Oraculum Paulinum 2. Theff. II, 1. 2. 3.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

REGIO AC ELECTOR. SAXON. HEREDE,

PRAESIDE

MARTINO CHLADENIO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROF. PVBL.

ALVMN. REG. ELECT. EPHORO, ET FACVLT.

THEOL. h. t. DECANO,

DEFENSVRVS EST

D. XXIII. APRIL. A. R. S. MDCCXI.

IN CATHED. D. LUTHERI

M. JOHANNES JACOBVS *Rühr*

DRESDENSIS.

WITTEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

13.

coll. diss. A
57, 8

24/15/18

Sächs.
Landes-
Bibl.

Handwritten marks and symbols, including a stylized 'f' and a grid-like pattern.





DE
METV DIEI EXTREMAE
APVD HETERODOXOS AVT INTEM-
PESTIVO AVT NVLLO.

§. I.



Mpiorum genuinus character a Spiritu S.
oninium optimo *καρδιογενεσι*, per ca-
lamum Vatis Regii nobis suppeditatur, Ps. 53. 6.
quando dicit quod *שִׁי פָחַדוּ פָחַד*
לֹא הָיָה פָחַד, *timere soleant, ubi ti-*
mendum minime sit, aut, ut ad fontem
accurarius reddamus, *ibi metuant me-*
tum, ubi metus non sit: adeoque paradoxon aliquod de illis
suppeditat, *habere eos metum exquisitissimum rerum inanium,*
Numinis vero nullum, & sic animum in pectore gerere &
metu repletum & metu vacuum. Repetitio verborum eorum-
dem est, sed non plenaria, quae extant Psal. XIV, 4. de quibus
perperam judicat JOH. CLERICVS, quando falsationem &
corruptionem Textus Authentici exinde derivat, cum tamen
manifestum sit studio id factum fuisse, etiamsi de causis nobis

Art. Crit.
P. III. S. I.
c. XV. p.
342.

non satis constet, nec assentiamur SIMEONI de MVIS, qui in hoc Psalmo de Antiocho, priori vero XIV. de Nebucadnezare esse sermonem existimat. Sufficit, vel ipsam Inscriptionem utrumque Psalmum distingvere: Nec, si vel maxime idem esset Psalmus repetitus, ideo dedecus Psalterio conciliaretur, ob insigne desiderium ac votum de Messia in carnem mittendo, quod utrumque Hymnum claudit. Non audimus sic CLERICVM, meris conjecturis nitentem, & fingentem, Canticum illud in captivitate Babylonica conscriptum, & vitiatum fuisse vetustatis dente: cum enim antea versibus velut, ac metro, scriptum fuisset:

שם פחרו פחר

לנ היה פחר

In describendo non modo posteriorem versum omissum, verum sex alios sequentes corruptos ac depravatos esse, quod quomodo probatum dare velit Aristarchus ille, nondum deprehendimus. Nos Spiritum S. cum organo suo divinissimo non carpimus, sed causas procul dubio gravissimas adfuisse, simplicitate Christiana non indecora credimus cur pleraque illius Psalmi, nec tamen omnia, hic iterata & sub peculiari titulo Maheleth ecclesiae ad cantandum & meditandum fuerint commendata. Sufficit nobis, & hanc sententiam, quam Psalmo XIV. vix adeo assecuti fuisset, nobis hic multo enucleatius exponi, & Impios depingi, quod *soleant metuere, ubi nimirum causas metuendi non habeant, metumque vicissim intermittant, ubi timor Numinis & reverentia adesse debebant; adeoque aut adesse timorem intempestivum aut nullum.*

§. II.

Poterat hoc pro varietate obsectorum, quae metum hominibus solent aut possunt incutere, satis feliciter cognosci. Quid solennius est impiis, quam superstitioso timore noctis tenebras fugere, ob spectrorum daemonumque furias, quibus se

se

se cupiunt subducere? Neque tamen idcirco *metus* ille *genuinus* est, cur enim non metuebant potestatem Daemonis in rapiendis illis animabus, quae ipsi inservire solent, & a peccatis adeo temerariis sibi cavebant? Alii daemones aut eorum saltem potestatem in dubium vocant, & metu omni carere videntur, qui tamen quovis folio arboris sunt mobiliores & a quovis vento concutiendi: Multi metuunt homines, Deum non metuunt; metuunt pericula bonorum, periculum animae non metuunt: de fortunis amittendis solliciti sunt, de amissione vitae aeternae parum aegrimoniae sentiunt: Mortis metu non videntur multi tangi aut frangi posse, adeo solent esse audaces & verbis saltem inter omnes maxime intrepidi: quamprimum hora mortis aut occasio imminet, cespitant, & pallescunt. Nobis visum est, hoc de eo, quod sane terrere omnes debebat ac poterat, objecto, *die* nimirum *pantocritico* demonstrare ad ductum Paulini oraculi, 2. Thess. II, 1. 2. 3. Si enim fanaticorum & aliorum erroneorum hominum, quos scriptura praecipue nomine Impiorum nobis ob oculos ponit, naturam intueamur, apparebit protinus cum primis circa hunc fidei articulum ita eos se gerere, ut aut non metuant, ubi metuere debebant, aut metuant, ubi opus non habebant. Hinc Apostolus conatibus illorum occursurus duplici munere defungendum sibi animadvertibat, ut tum injustum metum excuteret, tum justum ac legitimum incuteret ac moveret. Perscrutabimur occasione, quam divus gentium doctor nobis subministrat, varias, tum circa Exegefin, tum circa Thesin, doctrinas adversariorum, praecipue recentiorum, easque adstructa simul & ostensa vera sententia intrepide profligabimus. Deus vero pro immensa sua bonitate hoc unum nobis largiatur, ut ea qua par est veritatis cognitione nomen ejus timeamus, & in eo genuino timore nos ad extremum vitae halitum clementer conservet.

Pf. 86, II.

§. III.

1. Theff. 2.
v. 29.

Scopus Divi Pauli principalis dubio procul paracleticus est, ut Thessalonicenses, quos tam insigni amore complectitur, ut τιμὴν καὶ σέφαινον suum eos compellare nullus vereatur, in vera fide confirmet & consolatione interposita stabiliat *inter calamitatum ac crucis experimenta*, quibuscum illis tum erat colluctandum C. I, 4. Sicut itaque ipse gaudet de *incrementis fidei & amoris*, quae inter ipsos hactenus eximia fuisse deprehenderat v. 3. ita eos perinde gaudere vult de *calamitatibus* suis, quae indicia praebeant non modo de *dignitate eorum* ad regnum Christi, quae calamitatibus & tentationibus probetur, v. 5. verum etiam de *certitudine iudicii*, quod Deus tandem aliquando pro justitia sua sit instituturus, & non modo *persecutores* justis suppliciis flammaram infernalium *afflicturus*; v. 6. 8. 9. verum etiam *afflictos* aeternis praemiis *remuneraturus*. v. 7. Hinc precatur, ut ista omnia tandem feliciter adeo in suam gloriam & fidelium aeternam salutem *in effectum deducantur* v. 11. 12. Quae tamen consolationis non postrema species postea uberius c. II. *declaranda*, monitisque salubribus variis tandem *illustranda & concludenda* erat c. III.

§. IV.

Insigni itaque dubio occurrendum Apostolus capite II. necessarium videbat. Quae enim animi humani imbecillitas est etiam apud regenitos ipsos, vacillare non raro solent, & trepidare, si vel maxime ob oculos certitudo auxilii interventuri ponatur. Dilatio enim divinae opis non modo reddit eos anxios, verum etiam ipsa auxilii mox venturi repraesentatio animum ipsorum terrere facile poterat. Quoniam enim liberationem Thessalonicensium ab aerumnis & perpeffionibus sub adventum Christi fieri debere, audiebant a Paulo, nec iis memoria excidebat, quanta pernecitate, aut celeritate adventurum diem extremum praedixisset Apostolus in
priori

priori Epistola ad eos scripta IV, 15. V, 1. sq. eosque jussisset, ut non modo hoc solatii argumento ac genere *alter alterum exciperet*. I. IV, 18. verum etiam singulis momentis ac horis se promptos atque *paratos* ad adventum Servatoris *sisterent*. I. V, 4. vix poterat aliter fieri, quin tandem recordatione judicii illius extremi etiam apud pios *oriretur metus*, non sane a Paulo ad eo vitii alicujus accusandus, quamdiu filialis esset, & tam venerationem erga Numinis majestatem, quam fiduciam in ejus bonitatem & meritum Intercessoris, secum ferret. Accedebant vero alia, quae genuinum illum metum in servilem commutare conarentur; Inter reliquas enim Satanae fraudes, quibus aggredi ecclesiam nunquam cessavit, haec quoque locum cepit, ut perterrefaceret animas fidelium variis rationibus, & a fiducia erga Deum avocaret, ac distraheret; Hinc instrumentis ad id consilii exequendum commodioribus, quam Pseudo-Apostolis, uti non potuit, qui, ut perverterent animas ab Apostolis ad Evangelium conversas, sicut in reliquis operae non pepercerunt, ita & in hoc opere omnem lapidem moverunt. Jam enim aliis quoque in locis tanquam characterem falsorum doctorum indicavit Apostolus τὴν πλύωσιν, *territionem piorum*, adversus quam ut se muniant, & animo sint imperterriti, flagitat Apostolus Philip. I, 28. Talia etiam inter Thessalonicenses tentabant, ut eos exspoliarent tum libertate, tum gaudio Christiano, quod alias habere poterant, ac debebant, unde & precibus & monito obviam eundum videbatur Apostolo conatibus illis, id quod in hoc II. capite strenue exequitur.

S. V.

Quilibet itaque mox in primordio animadvertit, caute fuisse procedendum Apostolo nostro, & inter duos velut periculosissimos scopulos transnavigandum. Alter erat nimius *tremor ac metus*, quem ut excuteret, necessitas summa flagitabat;

tabat; si enim invalesceret ille ac radices ageret in animis Thessalonicensium, actum fuisset de omni πληροφορία fidei, & certitudine salutis, quam tot sudoribus, precibus ac laboribus illis inculcaverat non modo, verum etiam eos actu regeneraverat, & fiduciam illam illis implantaverat, ac velut nutritrix sollicita ac mater eos confirmaverat, 1. Theff. II, 7. II. senerat etiam summo cum gaudio, quanta cupiditate concionem evangelicam *assumerint*, & quanta certitudine & vi operata in illis fuerit. c. I, 5. II, 13. ita ut eos pro *electis* 1. Theff. I, 4. *fidelibus* cap. II, 13. pro *positis ad salutem* 1. Theff. V, 9. declaret, qui moerendi causas habeant plane nullas, sed indefinenter potius *gaudendi* 1. Theff. V, 16. & de impletione promissionum aeternarum certissima bene *sperandi*. C. V, 24. Probe itaque gnarus erat optimus gentium Apostolus, quam parum stare posset *metus ille servilis cum fide erga Deum*, & sincero eius *amore* Rom. II, 15. & quam parum congruum sit, habere ac sentire Spiritum τῆς δουλείας, servitii & metus servilis 2. Tim. I, 7. & quam difficilis, imo impossibilis sit conciliatio dilectionis & illius generis timoris 1. Joh. IV, 18. Ut itaque hunc scopulum evitaret, & evitare Thessalonicenses suos adeo pro coeteris fere ἀγαπητῆς doceret, labor ac industria non parva erat ipsi adhibenda.

§. VI.

Alter scopulus a Paulo evitandus, erat *securitas & excessus* velut fiduciae, aut abusus potius intempestivus, qui facile mentibus Thessalonicensium oboriri poterat, si aut dilatio iudicii ac poenae ob oculos poneretur, aut alia torporis pulveraria mentibus eorum substernerentur. Hinc adeo severe eos commonefecit in epistola priori, ne *dormirent* carnali sepulti somno, sed alter alterum *excitaret*, & omnes ad adventum Christi se digne praepararent. 1. Theff. V, 4. 6. His docendi rationibus etiam in aliis ecclesiis usus est vir divinus, & ita

ita temperavit consolationes suas, ut caveret, ne excitaretur vicissim *superbia* ac *securitas* spiritualis periculosissima, quod inductione exemplorum Rom. XI, 20. 1. Corinth. V, 2. Gal. V, 13. Eph. V, 6. Coloss. II, 4. Hebr. XII, 29. satis elucescit, sed eos crebro cohortaretur, ne aurem praeberent illecebris seductorum ad licentiam flagitiorum, sed continerent se in officio, & salutem suam *μετὰ φόβου ἡ τρέμου* operarentur ac quaerent. Phil. II, 12. Ad utrumque ergo respicit Apostolus, quando mentes Thessalonicensium non vult *σαλευθῆναι ἀπὸ τῆς νοῦς*, commoveri a mente sua, vox enim haec a *jaçtatione navium* desumpta & admodum emphatica, non obscure innuit, animam nostram *instar naviculae jaçtari*, & salo ferri: quod si inter tempestates & fluctus a gubernatore sobrie regatur, posse omnino ista omnia feliciter superare; alias non raro evenire, ut aut huic, aut alii scopulo allidatur, & misere pereat; Quam animarum perniciem ut avertat apostolus, quam occupatissimus hic esse deprehenditur, hinc precando, monendo, corripiendo, & aliis muneris sui partibus indefesse defungi non cessat.

§. VII.

In hoc sane nostro oraculo rem *precibus & blando alloquio* auspicatur, & titulum solennem *ἀδελφῶν* medio loco reponit Apostolus, sancto & innocenti captationis benevolentiae genere, cum alias a *λόγω κολακείας*, sermone adulatorio quam alienissimum erga ipsos se exhibuerit. 1. Thessalon. II, 5. Sancto nimirum *fraternitatis & unionis vinculo* cum ipsis conjunctus, jus aliquod se habere peculiare, non praeter rem arbitratus est, eoque facilius credere potuit, obtemperaturos ipsos, & sapientia monita non recusaturos. Non sane *abusus* fuit hoc nomine more fanaticorum, quos *ψευδαδελφῶς* potius quam *φιλαδελφῶς*, ut se non infrequenter nominant, dixeris, ob defectum charitatis erga eos, quos; suae classis non esse

B

exi-

existimant; sed vere potius explere voluit opere ipso dilectionis & aedificationis fraterne. Hinc non *tam increpando* negotium agere animum induxit, quam *rogando & intercedendo*: ἐρωτῶμεν ὑμᾶς inquit, non ut *precarium* ministri & Apostoli officium esse demonstraret, sed ut doceret etiam, δεήσεις seu obsecrationes pertinere ad officium τῆ παρακαλεῖν, quod tam crebro Timotheo & aliis ecclesiae ministris inculcat: Poterat enim, si vellet, ob divinitatem sui muneris nonnunquam τολμήσαι 2. Cor. X, 2. & cum autoritate agere: Maluit vero Deo servire μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, & animos hominum monere, ὡς θετεῖν μετὰ δακρύων. Act. XX, 19. 31. quam imperiose semper animos terrere, cum primis, ubi erigendi potius erant, atque ab intempestivo metu cohibendi. Hoc erat nimirum verum officium ecclesiae doctoris, ut non equidem concionem legis omitteret ac seponeret, quod in nulla ecclesia fecisse Paulum nostrum certo certius est; verum justo tempore id ageret, & perterrefaceret *legalibus minis* homines feroces atque indomitos, peccatorum suorum ac damnationis imminentis non recordantes, sed perterrefactos & poenitentes iterum erigeret atque solaretur: imo interpositis etiam precibus obtestaretur, ne nimio metu concuterentur: ἐρωτῶμεν ὑμᾶς: Precamur vos!

§. IIX.

Hac formula adeo *blanda* allecti & invitati sunt nonnulli interpretes, ut *obtestationem* ex verbis sequentibus facerent, quando scribit Apostolus: ἐρωτῶμεν ὑμᾶς ὑπὲρ τῆς παρουσίας τῆ Κυρίῃ, & sic interpretarentur: Obtestamur vos per adventum Domini nostri Jesu Christi. Ita Vulgatus, quo cum multi eodem modo, ut non mireris RAVPPIVM adjurandi & obtestandi formulam hic constitinere, ut sensus sit: *Quam vere expectatis reditum Domini nostri Jesu Christi tam ardentem vos rogo*: probationis tamen exegeticae loco incommode adducit Rom.

Rom.

Rom. XII, 1. ubi equidem *obtestationem* reperias, sed non per praepositionem ὑπέρ, verum διὰ signatam, ita ut hic locus voce non sit parallelus quando ibi legitur: παρακαλῶ ὑμᾶς διὰ τῶν ὀκτιρημῶν τῆς Θεῆς, atque adeo longe alia loquendi formula habetur. Inter nostrates B. AEGIDIUS HUNNIVS Exegeta summus, & Theologus mea laude omni major, itidem sic exponit, & hac paraphrasi illustrat: *mei vos Thessalonicenses, quos ceu fratres amplector, si vobis charus est Christus, si beatissimus adventus ipsius cordi vobis est, &c. ne recusate mihi Apostolo vestro cum attentas aures, tum morigeros animos exhibere: adiungitque, verbis his pene tribus expressa longe majora pondera, quam ulla dicendi, scribendique vis aut humanum eloquentiae flumen ullo pacto valuisset exprimere.* Deinceps etiam porisma gravissimum de formulis adiurandi & obtestandi adversus gregem Anabaptistarum elicit. Ita Reformati plerique, nominatim FRANC. GOMARVS aliiq[ue] Opp. p. 587. per obtestationis formulam hoc comma exprimunt. Malumus tamen B. LUTHERI versionem non deserere, quae particulae ὑπέρ *objectivam significandi vim* assignat, quoniam illa notio vocis, quam interpretes dicti tribuunt, ex aliis locis Scripturae nondum satis probata est; & praeterea talis obtestatio, ut B. CALOVIVS noster iudicat, hic locum non habere videtur, ut sufficere possit, si dicamus, *objectum* sermonis seu petitionis hac voce describi, quod nullum aliud erat, quam *adventus Domini Jesu Christi*, de quo uberiori informatione opus habebant Thessalonicenses recens conversi, & tenerrimi adhuc in fide, quam haecenus erant amplexi.

§. IX.

Objectum itaque παρασσία seu *adventus erat Domini nostri Jesu Christi*, quisnam vero aut *qualis* sit intelligendus, ante omnia conficiendum est; vox enim ipsa nihil habet difficultatis. Duplex adventus Christi, praeter eum, qui jam tum

in *carnem*, nec non per *praedicationem* verbi in regno gratiae erat susceptus, in Scriptura commemoratur, alter ad *judicium particulare*, in Judaicum speciatim-populum exercendum: alter ad *judicium universale* in humanum genus aliquando instituendum; Res ita clara est, ut multis exemplis dilucidari non debeat. *Tertius* vero *adventus*, quem Chiliaetae, quocunque etiam praetextu aut colore, somniant, scripturae non saltem ignotus, verum etiam plane adversus dudum est deprehensus. Alteruter itaque ex duobus prioribus erit intelligendus. Utrumque enim cum GROTIUS hic una sub voce conjungere prohibet vera exegesis Scripturae, quae unum sensum unius vocis, uno in loco, propugnat, nec hanc ambiguitatem quae exinde nascitur, concedit. Quapropter a SIMPLICIO, sub cujus nomine CL. SALMASIUS latere maluit, speciatim refutatus singulari libello, quo annotationes ejus in hanc epistolam examinavit. Priorem vero hic locum non habere, evidentissimis argumentis evinci potest: Manet itaque, *secundum* adventum eum esse, de quo Apostolus in loco praesenti agere ac differere constituit.

§. X.

Minime vero hic obtinere posse interpretationem *de adventu Christi ad Judicium adversus Judaeos* instituendum, omnes circumstantiae oraculi nostri haud dubium relinquunt. Si visum fuerit conferre ea, quae antecedunt, imo priorem epistolam, quae huic posteriori scribendi causam & materiam dedit, sermo esse deprehendetur de ejusmodi adventu Christi, 1.) quo facta Christus & pios *jam mortuos resuscitaturus & secum ducturus sit.* c. IV, 14. 2.) quo *fideles adhuc viventes* perinde sine morte sit *secum ablaturus* in gloriam. v. 15. 3.) qui fieri debeat *visibili modo* v. 16. 4.) quo facta fideles vivi *occursum sint domino.* v. 17. 5.) qui etiam accidere debeat illis qui in Thessalonicensium *regionibus vivant*, & ubicunque adeo
in

in terrarum orbe commorentur, v. 2. 6.) qui citissima & repentina *irruptione territurus* sit homines v. 2. 3. 7.) sub cuius apparitione *habiturae sint fideles* ἐπισυναγωγὴν ad Christum 2. Th. II, 1. 8.) qui longe adhuc post tempora Pauli, & post *manifestationem Anti-Christi* perficiendus v. 3. 9.) denique Anti-Christo *excidium simul sit allaturus*. v. 8. Haec omnia, & alia, quae ex visceribus textus erui possent, argumenta, & characterismi, nullum alium *adventum* nobis depingunt, quam unicum illum, tandem aliquando *in die extremo futurum*. Agnoscunt hoc plerique Interpretes, nisi quos novitatis cupido in transversa rapuit.

§. XI.

Sic operosior hic est Hammondus, ut viam illis struat ac laeviget, qui in ea sententia versantur, *adventum ad iudicium in Judaeos immittendum esse objectum* hujus sermonis Paulini: Rationes vero minime videmus praegnantas. 1.) enim dum dicit, aliis etiam in locis sub adventus nomine iudicium in Judaeos destinatum intelligi, parum nos turbat, adsunt enim hic *talia praedicata*, quae *illis in locis non reperiuntur*. 2.) quando asseritur, dum sumatur supplicium de Judaeis, eadem opera *pios liberari ab eorum persecutione*, aliud quidem nihil probat, quam quod commode adventus nomine intelligatur, sed non conficit, *quod hoc in loco talis sit adventus*, 3.) fatetur Hammondus 1. Thessal. IV, 15. *de postremo iudicio* esse sermonem, quod vero ad eum non respiciat hic Apostolus, nullo argumento probavit, de quo enim quaestio ante residua manebat, de eo hic instituitur fusior responsio. 4.) Quum dicit, loqui Apostolum *de re nota*, non evincit loqui eum de excidio Judaeorum, notior enim pene erat articulus fidei *de resurrectione atque iudicio extremo*, quam vaticinium *de interitu populi Judaici*, 5.) dum *rem nequaquam remotam* ab Apostolo nunciari dicit, non propterea ad excidium Judaeorum refe-

rendum videtur: nam ipse adventus Christi ad extremum iudicium multis videbatur *res proxime eventura*: neque loquitur Apostolus 1. Thess. IV. de ejus diei *propinquitate*, sed de *celeritate* & inopinata irruptione, quae inter se multum differunt, & a Thessalonicensibus minus recte erant intellecta. 6.) quod *dies* & adventus Christi sic sumantur *pro ultione a Judaeis* sumenda, nequaquam negaverimus: multa enim loca in veteri & novo Testamento praesto sunt: sed quod in praesenti oraculo haec significatio locum obtineat, id ex argumentis HAMMONDI nondum fluit. Hinc CLERICVS reverentia veri ductus eum corrigit, & in utraque epistola ad Thessalonicenses *παρρησίαν* Christi *de adventu Christi ad iudicandum vivos & mortuos* exponendum putat, neque opus esse fatetur, ut ad alium adventum confugiamus: etsi in aliis, ut deinceps videbimus, non minus ac HAMMONDVS a tramite justo in devia fuerit raptus,

Annot. ad
Hammond.
in h. l.

§. XI.

Cum *παρρησία* illa *Servatoris nostri ac Domini Jesu Christi*, (de quo nomine, adversus Socinianos, nec non Reformatos dudum illis vel millies ad *αυτοκαταπαρρησίαν* ipsorum demonstrata atque opposita hic non repetimus) conjuncta est ab Apostolo *ἐπισυναγωγή ἐπὶ αὐτὸν*, *congregatio super, vel ad ipsum*, quam pro ratione sui instituti explicat HAMMONDVS de *congregationibus piorum, & coetibus ecclesiasticis post supplicium de Judaeis sumtum, velut persecutoribus Christianorum, eo pulchrius efflorescentibus*. Non negamus *ἐπισυναγωγὰς* Hebr. X, 25. dici ecclesias & congregationes fidelium ad colendum Christum, Notum vero est ecclesiam aliam esse *triumphantem*, aliam *militantem*; quis ergo non videt, ubi adventum Christi ad iudicium extremum intelligendum hic esse animadvertit, hanc quoque *ἐπισυναγωγήν ἐπὶ Χριστὸν* nihil aliud esse, quam *collectionem ecclesiae triumphantis* in die

ex-

extremo perficiendam, quando colligabit fasciculos tritici a palea separatos. Recte iterum CLERICVS HAMMONDVM censura notat, intelligendam esse aggregationem piorum ad Christum, *ut in beatis sedibus, una cum illo aeterna beatitudine fruamur*, additque, oportuisse ab illo afferri exemplum, ubi *ἐπισυναγωγὴν ἐπὶ Χριστὸν* significaret *congregari Christi colendae causa*. Sic SIMPLICIUS: Haec verba diligentius attendenti nullum profecto dubium relinquunt, quin Apostolus de ultimo Christi adventu loqui credatur. Hinc dicit, ipsam veritatis evidentiam exegisse a GROTIO, ut Apostoli verba rectissime interpretaretur. Ubi cum primis ipsi obvertit & exprobrat falsam interpretationem phraseos *ἐπὶ χριστὸν propter Christum*, cum tamen nostra congregatio fieri aliquando debeat *ad Christum*. Quem veritatis consensum ab utroque horum virorum, in literatura clarissimorum, nonnisi gratisimum nobis esse jubemus, & ut in reliquis eosdem se exhibuissent, optare mallems: sane hic JO. CAMERO adversus eos vehementer depugnat, qui per *ἐπισυναγωγὴν ecclesiam in terris* intelligunt, nihil enim significare hanc loquendi rationem, & non exprimere sensum verborum Paulinorum. Notamus hic non ineptam esse Emphaseos animadversionem JO. CROCI: quae cum judicio existimat scripsisse Paulum *ἐπισυναγωγὴν*, velut *congregationem superadditam*, quoniam quaedam jam animae in gloriam coelestem receptae, quibus in die extremo reliqui electi etiam sint *adjiciendi & consociandi*, ad communem vitae aeternae beatitudinem percipiendam.

Myrothec.
Evang. in
h. 1.

§. XII.

Nunc nullo negotio perspicietur, quid Apostolus a Thessalonicensibus rogatum velit, & de quo adeo sollicitus sit ipsorum causa. Non enim res parva gerebatur: concernebat ea *seductionem animarum* in manifestam perniciem & in-

interitum, nisi obicem poneret conatibus falforum doctorum:
 Ἐἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς νοῦς, μήτε θρο-
 εῖσθαι & porro, μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ. Quicquid homo
 sentit, novit, meditatur atque credit, complectitur Paulus so-
 lenni sibi voce νοῦς, cupitque ut quilibet ἐν τῷ ἰδίῳ νοῖ
 πληροφορεῖσθαι, *in sua sententia*, quam de re aut actione in-
 stituenda imbibit ac probis rationibus didicit, *sit certus & con-*
stans. Rom. XIV, 5. *Mens* illa Thessalonicensibus erat conci-
 liata ex praedicatione evangelii, quam Paulus inter illos susce-
 perat; erat praeterea verbo Dei conformis & certa, sicut etiam
 Paulus evangelicam doctrinam exposuerat ἐν πληροφορίᾳ
 πολλῇ, sine haesitatione, sed multa potius *cum certitudine &*
animi firmitate 1. Thess. I, 5. hoc enim verbum praedicatum
 (articulique fidei inde expositi, ad quos etiam pertinebat ju-
 dicium extremum,) ab illis assumebatur non ut verbum ho-
 minum, sed Dei ipsius 1. Thess. II, 13. Hinc nihil aliud super-
 erat, quam ut porro *magis magisque confirmarentur*, εἰς τὸ
 σφίξαι αὐτὰς καὶ μηδένα σαίνεισθαι, ut omnes *corroborarentur*,
 & nemo ex illis *commoveretur*, 1. Thess. III, 3. Vox enim σαί-
 νεσθαι propria est canum adulantium caudam moventium
 aut arundinum quassatarum, (ut plerique Interpretes cum
 LEIGHIO observant) atque sic averteretur ab ipsis omnis *flu-*
ctuatio atque *incertitudo*, unde tandem aut *desperatio* aut *se-*
curitas stupida oriri poterant. Hinc Apostolus in oraculo
 nostro commotionem illam animarum tribus admodum em-
 phaticis vocibus describit, atque τὸ σαλευθῆναι, θροεῖσθαι, καὶ
 ἐξαπατεῖσθαι inter se miro artificio conjungit. Primum enim
agitationem, conquassationem undarum seu fluctuum maris, ut
 antea diximus, denotat, qua metaphora frequenter describun-
 tur impii sibi plane non constantes Es. LVII, 20. Alterum
tumultu quodam *cieri* & clamore ac terribili quadam re tur-
 bari: Tertium vero *seduci* denotat, velut a latrone, qui viae
 co-

comitem simulat, & spoliū intendit, atque in eum finem iter facientem in devia blandis verbis abducit.

§. XIII.

Haec tria ad Pseudo-Apostolos applicat ac trahit Paulus, quoniam animadvertit multis jam experimentis, varias eos *μεθοδείας τῆς πλάνης* seu *captationes astutas ac stratagemata* ad errorem inducendum adhibere Ephes. IV. 14. & si res non una via succederet, ad aliam se vertere, & multivarios *τρόπους* & modos exercere, ut obtineant finem optatum, qui est *τὸ ταράσσειν τὰς ψυχὰς ἢ μετατρέψαι τὸ εὐαγγέλιον*, *homines credentes concutere*, incertos in fide reddere, solatium eripere & territionibus legalibus, aut etiam comminationibus fictis ultra modum perterrefacere, & ut hoc eo facilius fiat, *pervertere evangelium*, evangelicas promissiones in legales minas, & conciones contritionis, commutare: & justificationem cum renovatione, fidem cum operibus, arborem cum fructu confundere; unde tandem animi *concussio, trepidatio, fluctuatio, tandem desperatio* aut etiam desperata *securitas*, ut ante monitum, oriri potest. Ista vero omnia non semper lento gradu operationem suam exercent; vult enim Apostolus praecavere *τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι*, *ne cito moveantur*, quandoquidem Pseudo-Apostolorum seductio nonnunquam instar apoplexias est, quae ferit hominem & uno velut ictu prosternit: Hinc Paulus noster apud Galatas vehementer miratur, venenum falsae doctrinae *ἔγωγε ταχέως* *tam cito*, potuisse operari, ut alios avocaverit a Christo ejusque doctrina; nec in initio epistolae illud dissimulare statim potuit. Gal. I, 6. Non vero inficiandum est, interdum evenire solere, ut falsa illa doctrina *latentis morbi* speciem gerat, qui per artus & viscera serpat, donec totum hominem occupaverit & tandem eo crudelius saeviat. Hinc non dubitat etiam Apostolus alio loco asserere, quod ser-

mo talis ὡς γάγγραινα νομὴν ἔξει, ut gangraena solet pascua quaerere, & depascere sensim totum hominem 2. Tim. II, 17.

§. XIV.

Ad eo meliorem vero praecautioem subjungit Apostolus deinceps *varios modos*, quibus adhibitis terreri ac tentari animae fidelium possint, atque ad metum diei extremum intempestivum compelli. Monet enim, ne se commoveri patiantur, μὴτε διὰ πνεύματος, μὴτε διὰ λόγου, μὴτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos (ad vos aut alios) perscriptam. Spiritus nomen tum de increato tum de creatis Spiritibus in Scriptura sumi in liquido positum est. Ponitur etiam pro apparitionibus spirituum & revelationibus extra ordinem factis, quas jactare solebant Pseudo-Apostoli, atque sic concionibus suis conciliare auctoritatem: Non itaque hic intelligitur Spiritus verus, sed mendacio fictus, & falso jactatus, & pro divino atque caelesti venditatus; omnium enim fanaticorum mos semper fuit, *gloriarī de visionibus in Spiritu, quas tamen non viderunt, & inde vehementer inflari, ac superbire in mente carnis ipsorum* Coloss. II, 18. Revelationibus jungit sermonem, tanquam divinitus prolatum, & in verbo Dei repertum, aut ab Apostolis ipsis pronunciatum; adeoque traditiones ab ore virorum θεοπνεύστων profectas, & ad alios propagatas, pro quibus itidem solebant falsi Apostoli sua εὐρημάτα venditare & hominibus commendare. Praejudicio itaque auctoritatis terrebant fidelium Thessalonicensium mentes, & istam doctrinam de die extremo se hausisse ab ipsis Apostolis mentiebantur. Imo vox λόγου generatim, quicquid sermonum est falsorum & rumorum, complectitur, quorum politurae admodum studebant Pseudo-Apostoli, ut, quod rebus & veritati deesset, verborum cultu resarciretur. Rom. XVI, 18. Imo, ut eo commodius virus suum spargerent, Epistolas, tanquam
a Pau-

a Paulo aliisque Apostolis, scriptas, comminiscabantur, & in ecclesias spargebant, quorum conatibus ut obviam iret Apostolus, nonnunquam se Epistolam propria manu aut scripsisse aut dictatae subscripsisse profiteretur Coloss. IV. 18. Philem. v. 19. Imo hanc ipsam nostram Epistolam, ne Thessalonicenses fallerentur, *characterismo peculiari* obsignat: ὁ ἀσπασμὸς τῆ ἐμῆ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ: ἔγω γράφω. 2. Thess. III, 17. quam notam appositam fuisse non ad *conjiciendum de deperditione epistolarum genuinarum*, sed ad *dignotionem supposititiarum* adversus GROTIUM B. CALOVIVS nos- ter graviter in illum locum animadvertit; Vult itaque eos κατὰ μηδένα τρόπον, nullo horum modo seduci a veritate.

§. XV.

Afferbum falsum doctorum falsorum in eo consistebat, ὡς ὅτι ἐνέσκηεν ἡ ἡμέρα τῆ χριστοῦ quod proxime immineat dies Christi; Dies Domini idem ac dies adventus Domini: Non itaque de alio adventu loquitur quam ad *judicium universale*, Rationes antea breviter confecimus: & quaecunque hic peroravit Hammondus, ita scribit cum iudicio CLERICUS, *possunt non minus recte in eos quadrare, qui ex verbis Pauli perperam intellectis crediderant instare finem omnium rerum, & adventum Domini ad iudicandum vivos & mortuos. Itaque non opus est ad alium adventum confugere*: Utinam sic semper Virum eruditum quoad principes, aliasque fidei partes, haberemus conspirantem! Imminere vero volebant atque instare diem illum pantocriticum, non equidem determinate illo anno, quem agebant, scribente Paulo hanc epistolam: ut quidem fingit GROTIUS, quo causae suae inserviat; eo tamen major oriebatur metus, quo citius illum irrupturum diem ex Apostoli priore Epistola didicerant; adeoque parum temporis restare iudicabant ad diei illius adventum. Parum hic difficultatis; nisi quod forte dubium videri possit, cur adeo pericu-

lum hujus sententiae exaggeret Apostolus noster, cum fundamentum fidei tangere minime videatur, neque tantum piaculum haberi debeat, si animi per concionem de approximatione diei extremae a securitate carnali, quae alias ex sententia de dilatione diuturna illius oriri poterat, revocarentur. Verum non spectabat Paulus doctrinae Pseud-Apostolicae speciem externam & pulchram, quae ex praetensione pietatis promovendae oriebatur, sed, ut bene ac solide gravissimus HUN-

Comm. h. I. NIUS monet, VERA VERIS, RECTA RECTIS argumentis demonstranda & persuadenda esse, existimabat. Hinc per falsa & sublesta principia ad sanctimoniam Thessalonicenses permoveri minime voluit. *Cum enim*, scribit Beatus Vir, *cujus judicium unius multorum nobis instar est, Spiritus Sanctus pietatem operetur, non per fabulas hominum ingenio excogitatas, sed per verbum suum, tanquam accommodum instrumentum: Sequitur ex hujusmodi commentis fabulosus non efflorescere pietatem veram & solidam, sed pietatis inane simulacrum & umbram sive hypocrisin existere solere in cordibus hominum.* Falsissimum vero erat argumentum ad pietatem excitandam, imminere proxime diem extremum, evertibat enim haec assertio totam structuram & connexionem vaticiniorum Veteris & Novi foederis, harmoniam temporum & seriem, cum primis vero cum iis minime conveniebat omnium, quae jam Daniel Propheta divinissimus, de Anti-Christo ejusque tyrannide & odio erga veram ecclesiam praenuntiaverat c. XI. & XII. Neque etiam intentio Pseudo-Apostolorum tanta sanctitate & innocentia praedita erat, quanta quidem videbatur effulgere; tendebant enim illi conatus ad infringendam fiduciam & tranquillitatem mentis, quam tamen ex evangelii paulini praedicatione hauserant: Uno verbo ad seductionem, damnationem & perniciem, non vero ad salutem animarum, quam nonnisi ore, ventrem vero in corde ferebant.

§. XVI.

Succurrendum itaque erat, & remedium quaerendum illis conatibus Pseudo-Apostolorum; Quod directa Antithesi exequitur Apostolus: ὅτι εἰ μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, & quae sequuntur. Nequaquam revocat priorem concionem de judicio extremo celeri satis gradu adventuro; nec quicquam eorum retractat, quae ibi disseruerat, sed potius dilucidat & illustrat, atque ab interpretatione falsa animose vindicat. Limitat sic propositionem suam antea stabilitam; *Veniet equidem dies extremus citius, quam homines impii existimaturi sint, sed non prius veniet, quam signa quaedam praecesserint*; Videtur hic divinissimus Paulus propria vineta caedere, quando illud limitat, quod in priori epistola videbatur absque ulla restrictione scripsisse. Nam vel ipsum cogitare quis posset in eam sententiam descendisse, ut assereret, non modo inopinum, verum etiam quamproximum Christi adventum ad judicium futurum: quando 1. Thess. IV, 15. & sequ. de tali die loquitur, qui ipsi & Thessalonicensibus adhuc viventibus sit appariturus: diserte enim dicit ἡμῶς ζῶντας ἢ περιλειπομένους, *ipso viventes & adhuc superstites*. Jam Paulus inter senes numerandus erat, ubi hanc epistolam consignaret, & tamen non dubitat diem extremum adventurum esse propediem, multis enim annis opus non habere exinde facile intelligitur. Non sane rem conficit σοχασμὸς Paulinus, ad quem recurrit Grotius, aut etiam *patefactio Christi*; fuissent enim haec judicia falsa, quod eventu patuisset, nam tempore Pauli judicium extremum non advenisse dies docuit. Verum ut breviter rem conficiamus, non sane concedendum est, Apostolum in ea sententia versatum fuisse, ut crediderit aut docuerit, *diem extremum se adhuc vivo adventurum*, ea enim, quae prius eventura hic profiteretur, contrarium ad oculum demonstrant. Loquitur itaque de iis, quos dies extremus adhuc vivos sit

reperiturus, quocunque etiam tempore appropinquaverit: Loquitur vero etiam de seipso, tanquam ipse cum Thessalonicensibus quibusdam sit superfuturus, *tum ob incertitudinem horae illius adventus: tum ob consuetudinem sibi fere solennem, ut quando de fidelibus aliis sermo ipsi est, se simul illis adjungat, atque velut corpus mysticum eos adspiciat, ex quo se neutiquam & nusquam vult exclusum: tum ob rei, quam docebat, firmitatem*, quae ita se haberet, ac si ipse jam oculis usurparet, atque ipsis interesset, quos Christus sub suum adventum occurrentes clementissime sit excepturus: tum ob *generalem* quandam *differentiam inter viventes & jam defunctos*, quorum prioribus se accensebat, & velut casum ponit, si Christus tum vivente Paulo veniret, quis ordo a Deo procul omni dubio esset observandus. Falso itaque sic de vita gratiae agi, quilibet nullo negotio advertit, ut opus non sit multis illam sententiam refellere.

§. XVII.

Antequam vero dies extremus orbi immineat, ἀποστασίαν aliquam extantissimam & κατ' ἐξοχήν sic dictam eventuram esse docet Apostolus: ὅτι εἰ μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, nisi venerit prius *Apostasia*, non appropinquaturum esse diem extremum. Ante omnia conficiendum est, an illa *Apostasia* sit *politica an spiritualis?* an facta sit ab obsequio hominibus debito, an a fide & confessione, adeoque ab obsequio erga Numen? in hac enim quaestione reposita, quae nos a Novatoribus distinguunt. Afferendum itaque posterius gravissimis de causis. (1. Enim ipsa vox ἀποστασίας ita comparata est, ut Paulo, quam frequenter etiam verbum ejus occurrat, non de defectione Politica, sed de fide, usurpetur, hinc jungitur *cum fide* 1. Tim. IV. 1. ubi dicitur de postremis temporibus eorumque characterismo, quod *ibi multi sint defecturi a fide, & ad impuros Spiritus transiuri; Cum Deo vivo* Ebr. III, 12. uti gran-

gran-

grande piaculum Ebraeis cavendum esse Apostolus monet, quod in eo reponitur, si quis deficiat & apostasiam committat, ἀπὸ θεῶ ζῶντος, a Deo vivente, & ad cultum mortuorum operum transitum instituat. 2.) atque ideo videtur Apostolus indefinito vocabulo, sine additamento termini a quo, aut ad quem defectionis, usus fuisse, ut innuat, Apostasiam illam tantam esse futuram, quanta nusquam antea sit audita aut lecta. Quod de defectione Politica capiendum non erit, quales enim a nato Christo Apostasiae politicae occurrerunt, non minus ante eum natum accidisse ex historiis constat: Talem vero spiritualem, qualis hic a Paulo intelligitur, nunquam antea a quoquam fuisse factam perinde in proclivi est. 3.) Parallelismus scripturae manifestissime Apostasiam a fide nobis digito velut demonstrat: Si enim Daniele evolvamus, c. VIII, 12. ἀποστασία dicitur $\nu\psi\delta$ peccatum gravissimum & transgressio non ab homine ad hominem, sed a Deo ad peccatum, adeoque lapsus non quivis sed extantior, non tam vitae, quam fidei, siquidem ille, cui apud Daniele Apostasia & iniquitas tribuitur, dicitur *sublaturus sacrum quotidianum*, id est, preces quotidianas fidelium in sacrificium commutaturus, & *habitationem sanctuarii devastaturus*, id est, domus & aedes fidelium in delubra idololatrica conversurus, porro etiam *veritatem proijcturus & pedibus velut calcaturus*, id est doctrinam evangelicam ex verbo Dei patefactam crudelibus modis persecuturus: tandem etiam *Stellas insignes de caeli exercitu in terram projecturus & contriturus*, id est, viros ac doctores sinceros morte sanguinolenta affecturus. cap. VIII, 10. seqq. clarius adhuc c. XII. dicitur Apostata ille insignis *sublaturus se adversus omne quod Dei est, locuturus blasphema adversus Deum Deorum, Deum Patrum non curaturus aut veneraturus, alium Deum Mausim culturus, ejusque cultum multo pretio redempturus, & cultores ejus honoraturus*. v. 36. seqq. Quae omnia meridiana luce

ce clarius reddunt, apostasiam illam insignem non esse Politicam sed spirituales.

§. XVIII.

Nunc opus non est, ut audiamus Pontificios, qui ad unum pene omnes ad avertendam Anti-Christianismi notam in eo laborant, ut hanc Apostasiam *politicam* dicant, & defectionem Regum variarumque gentium a Populo & Imperio Romano, sub cuius jugo antea detinebantur, hic intelligendam esse evincant. Respondeant, quaesumus, quid illa defectio ad diem extremum, & quando illa defectio politica exstantior facta sit? & quidem sub uno capite atque principe qui hic dicitur ἀπωλείας ὑὸς, quemque Deus sublaturus sit spiritu oris sui, id est verbo? 2. Thess. II, 8. Exponant nobis atque edisserant, quisnam Apostata politicus adventum suum celebraverit *per varia miracula & signa venditata*? An se extricaturi sint, experientia & historia rerum in Ecclesia gestarum docebit. Dubitamus nulli, imo quam certissimi sumus, nunquam satisfacturos esse viros caetera interdum satis doctos, argumentis, quam integris tractatibus ad Apostasiam Ecclesiae Romanae comprobendam in medium proposuerunt Nostrates B. GERHARDUS, NICOLAUS HUNNIUS, & HIERONYMUS KROMAYERUS in confessione Catholica, in Apostasia Ecclesiae Rom. novissime vero D. GÜNTHERUS in collatione Romanae & Romanensis fidei; Nobis hic sufficiet unum istud, apostasiam hic esse *Spiritualement*, minime vero omnium *politicam*, quandoquidem omnia attributa ejus, tum etiam subjecti deficientis, ita sunt comparata, ut defectionem Spirituales describant. Qui hic simul Politicam conjungunt, & deprehendunt in eo, cui uni characterismi his omnes conveniunt, non aliquid asserunt praeter veritatem, veruntamen huc respicere Apostolum hoc loco non apparet; contentus enim fuit, hanc Semeiologiam suppeditare,

re, antequam accedat dies extremus, orituram insignem aliquam & antea nunquam factam defectionem a fide.

§. XIX.

Pollicem, velut aliud agendo, hic premunt Pontificiis, quotquot Interpretes oraculum nostrum *ad defectionem Politicam* restringunt; Dum enim hypothese suae, diem hunc esse iudicium Judaicum, inservire cupiunt, eo tandem, aut ad simile quid, delabuntur: Ita enim GROTIUS, qui ad Caligulam haec trahit, qui defecerit a majorum mansuetudine erga Judaeos, & ipsis eripuerit potestatem colendi Deum verum; neque reminiscitur Vir alioqui iudicio satis acri praeditus, apostasiam requirere prius *σάσις* seu consistentiam in fide; quis vero unquam dixerit Cajum in fide substituisse, & fidelem fuisse, ut a cultu fidelium potuerit desciscere? Linqvimus reliqua argumentorum pondera, quibus eum ex nostratibus B. CALOVIVS, vir immortalis laude dignus, & ex Reformatis speciatim in hanc epistolam hic Simplicii nomine SALMASIVS refutarunt; & istud ejus inventum eviscerarunt & enervarunt. Placet nobis posterioris censura vel ideo, quoniam inter reliqua & hoc adnotat, non dicere Apostolum, nisi venerit Apostata aliquis, tanquam de unius hominis apostasia loquentem, sed nisi venerit Apostasia, & significare adeo *malum aliquod catholicum, quo ecclesia Christi, quae sola Dei populus est, ita deformanda esset, ut pene nihil in ea Christianum praeter nomen agnoscas.* Comment. in h. l. Et sufficit nobis, GROTIUM asserti sui audacissimi ne unam quidem partem satis explevisse, quando scribere non veretur, Impietatem Caji ita in sequentibus depingi, ut difficile sit ullam reperire prophetiam, cui exitus exactius respondeat: cum tamen nulla prophetia minus in eum quadrare deprehendatur, quam quidem haec ipsa, ad alia longe tempora & circumstantias respiciens.

D

§. XX.

§. XX.

Male tractat hanc vocem HAMMONDVS, quando sub ἀποστασία secessionem Apostolorum a Judaeis ad Gentiles, generali & latissima ejus notione intellexit, aut etiam, cum hanc viam minime succedere adverteret, Judaeorum fidelium seu credentium discessionem a Mosaicorum rituum observatione; quam interpretationem cum itidem satis coactam & violentam non minus deprehenderet, tandem ad frequentiore significatum vocis nobiscum descendit, ita tamen ut defectionem quandam insignem Christianorum ad Gnosticos intelligendam putet, quae antecessura sit ultimum Judaeorum excidium. Sed ex hoc falso principio non poterat alia tandem, quam falsa glossa enasci: Imo & ipsa de Gnosticis ubique incrementibus opinio est HAMMONDI propria, ita, ut quemadmodum oculus glaucomate aliquo variegato occupatus varios semper colores intueri se existimet, perinde HAMMONDO, ubicunque de Haereticis in novo Testamento sermo sit, Gnostici ipsi intelligendi esse videantur. Conjecturae itaque merae sunt, quibus HAMMONDVS nititur, talis enim defectio ad Gnosticos neque tunc, neque postremis mundi temporibus futura in Scriptura legitur, ac praeterea capiti illius defectionis longe alia sunt praedicata in sequentibus commatibus attributa, quam quidem Gnosticis conveniebant; qui tale caput visibile nunquam leguntur stabilivisse, quale isti defectioni hic adsignatur ab Apostolo; Acerbam censuram hic addit CLERICVS: *Ne tentavit quidem noster haec probare, ac sane ex tentantis inani conatu apparuisset, eum non satis attente illius aevi historias expendisse.* Ann. ad h. l. Nec tamen cautiorem se gessisse CLERICVM ipsum non satis miramur, qui ne Hammondo assentiretur, maluit apostasiam Judaici populi a potestate Romana hic intelligere, quae sicut antecedit ipsum finem seculi, ita etiam antegressuram

ram

ram fuisse excidium Hierosolymarum: Ipse vero faretur, hanc conjecturam sibi non satisfacere, melius facturum, si, postquam semel, ut ante monitum, de die extremo hic agi confessus est, etiam hanc apostasiam cum reliquis Interpretibus de defectione papali intellexisset.

§. XXI.

Quoniam vero omnis defectio a capite quodam regitur, non dissimulare voluit illud Apostolus, verum nominibus satis claris describit, dum τὸν ἄνθρωπον τῆς ἀμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας nominat. Patres omnes in ea versantur nobiscum sententia, Anti-Christum intelligi: Oportet enim insignem hostem esse, cui talia nomina adscribantur; Hinc non simplici voce peccatoris excipitur, sed *homo scelerum & peccati* dicitur, non modo, quia in se, & sua persona gravissima flagitia erat commissurus, verum etiam, quia caput atque auctor futurus erat, ut ab aliis varia crimina idololatriae ac spurcitiei genera patrarentur; Hinc peccata Babylonis *clamantia* dicuntur, & *pertingentia ἄχρι τῆς ἔσχατης*. Apoc. XVIII, 5. Quenam vero illa flagitia enormia sint, praeter nostrates, solidissime evicit JOH. HENR. HEIDEGGERVS in *mysterio Babylonis magnae*, quo libro ea omnia exhaustit, quae de hoc argumento desiderare posse videbantur. Illud sane notatu hic dignum est, falsos plausus esse, quos suscipiunt adversarii, quando Apostolum de uno homine sermonem instituire obvertunt, non itaque intelligendam esse catervam hominum sibi ordine succedentium, sed de uno saltem individuo; Millies enim retusa est exceptio illa. Et quis non videt singularem numerum non propterea individuum saltem unum inferre, sed potius omnem illum intelligi debere, qui primum illum defectorem simili exemplo, uti successione locali sequitur, adeoque individua invicem subsequuntur: sic enim multi, in errore & superstitione sibi succedentes sunt υἱὸς

ἀπωλείας, quod ita demonstratum a nostratibus esse confidimus, ut de ipso consensu ex adversariis multorum, & totius antiquitatis triumphare possimus.

§. XXII.

Facile intelligitur praeterea, cur υἱὸς ἀπωλείας dicatur. *Filius* enim, quia in sinu ecclesiae nascendus atque educandus erat, *perditionis* vero, quia & ipse perditus futurus, & aliis occasionem causamque ad perditionem erat subministraturus. Ita Iudam hoc titulo satis infausto compellat servator dulcissimus Joh. XVII, 12. quoniam & ipse foedum scelus commiserat, & ut alii committerent idem, autor illis atque dux fuerat. Nec difficile assequimur ἀπώλειαν hic minime *perniciem temporalem* & *secularem* exprimere; quando enim in sequentibus ipsi tribuitur τὸ ἀντικείμεθα, ὑπεραίρεσθαι ἐπὶ τὸ σέβασμα, venditare se Deum, & quae alia sunt, quorum nunc meditationem non instituimus, alii labori haec reservantes; docent ista omnia satis, florere illum debere potentia, honore, opibus, ita quidem ut ex locorum parallelorum collatione pateat, superaturum etiam Reges terrae, & imperium obtenturum, quod quemadmodum successu temporis contigerit, testem habemus THOMAM BOZIVM EVGVBINVM, qui inter signa verae ecclesiae ejus amplitudinem ac insignem florem recenset, & integro libro depraedicat, immemor sane nostri oraculi, ubi illa signa non verae ecclesiae, sed illi potius, quae se ὑπεραίρει & Dominium orbis terrae affectat, adscribuntur. vers. seq. Res itaque redit *ad aeternam* perniciem, quam υἱὸς ille infaustus doctrinis suis erat conciliaturus, omnibus qui ipsi adhaesuri essent; ita quidem ut Petrus loco parallelo damnationem illam nominet ἀπώλειαν ταχίστην, *celerrimam* & *repentinam*, quia plerumque pertinaci contemptu mediocrum gratiae genuinorum provocatur; 2. Petr. II, 1.2.

§. XXIII.

§. XXIII.

Satis infelicia' haec nomina sunt, quibus Apostolus hic Anti-Christum excipit, ut facile appareat, minime omnium competere illis, quos Pontificij pro Anti-Christis solent venditare: etsi enim unum alterumve attributum huic vel illi fortasse aptare queant, omnia tamen conjunctim sumta non quadrabunt. Hac ratione etiam se & alios decepit GROTIUS cum suo Cajo, in quem vix unum aut alterum characterisum convenire nullo negotio deprehendere licebit, ut mirari animum subeat, virum prudentem ad tales explicationes descendisse; quibus nusquam gratiam inivit, & ne novitate quidem, quae aliqui solet perstringere incautorum oculos, se hoc in argumento commendavit. Neque HAMMONDVS Grotio felicior est, quando per hominem peccati Simonem Magum cum Gnosticis intelligit, adeoque unum poni existimat pro toto coetu hominum illorum, in eumque cecidisse titulum illum optime promeritum quod *πρωτότοκος τῆς Σατανᾶς*, *satanae primogenitus* dictus fuerit, qui miracula varia Diabolica & praestigiatoria exercuerit, qui tantam sibi potestatem conciliaverit, ut Claudius Caesar inter duos Tiberis pontes erexerit statuam sub Inscriptione: SIMONI DEO SANCTO: EVSEBIUM esse autorem, quod a Gnosticis pro Deo cultus & thure adoratus sit: ab IRENAEO vocatum esse *ἀρχηγὸν πάσης αἰρέσεως*, ducem & Principem omnis haereseos, dictum fuisse a Samaritis *δύναμιν θεῶν μεγάλην*, divinam vim & potestatem; jactavisse se quod fuerit Creator Angelorum, & mundi; & quae alia sunt ad conciliandum applicandumque textum ab Hammondo adducta. Verum haec omnia nondum exprimunt ac repraesentant nobis Anti-Christum, qualem Paulus hic & alibi describit, etsi quosdam characteres videatur habuisse; Pleraque etiam nondum satis confecta, & ab Eusebio, Irenaeo aliisque saltem conjecturae aut aliorum re-

Muret. E-
pist. Vol.
II. Ep. 81.
& 82.

lationi superstruuntur : in cujus rei testimonium vel una illa
inscriptio servit, quae ab eruditis Simoni Mago dudum abju-
dicata est, ac demonstratum errorem nominis intercessisse :
vel enim memini hanc rem inter ANTONIVM MVRETVM &
JVLIVM JACOBINVM confectam esse, qui hanc inscriptio-
nem oculis suis sic se legisse asseveravit :

SEMONI
SANCO
DEO FILIO
SACRVM &c.

ubi DEO FIDIO mavult Muretus legere, ut alia proletaria ta-
ceamus, quae hinc inde de hoc argumento occurrunt. Suf-
ficit ea quae de Simone referuntur, satis obscura atque in-
certa esse, neque tanti ponderis, quoniam mox extincta, ut
tanquam descriptionem & prolixam Spiritus S. de illis adeo
frequenter in scriptura moliatur : & quos crediderit, Ange-
lum Danieli colloquentem ex tot periculosioribus longe hae-
reticis, praeterito ipso Anti-Christo graviore multum hoste,
de Simone Mago sermonem instituisse, cujus haeresis equi-
dem sat graviora mater multorum errorum fuit, non tamen
tantae auctoritatis, ut potuerit in ecclesia Dei hac ratione
grassari, prout grassaturum Anti-Christum praenunciat Paulus.
Adeo tales sententiae blandiuntur incautis, ubi ad incudem
revocantur, examen non sufferunt.

§. XXIV.

Substituit HAMMONDO CLERICVS suam, sed non me-
liorem sententiam, qua per hominem peccati & filium per-
ditionis, intelligit Iudaeos rebellantes & desciscentes ab obse-
quio Romanorum, quorum princeps atque Dux fuerit Simon,
non magus, sed Giorae filius, qui primo occultum tyrannum
egerit, tandem vero fortior factus, omnia humana divinaque
jura publice violavit & conculcaverit, adscitis in subsidium &
mini-

ministerium nequam hominibus Iohanne, Eleazare & aliis, quos recenset IOSEPHVS: Illos se pro Diis, id est magistratibus gessisse, & in templo Hierosolymitano, quod sit ὁ ναὸς τῆς Θεῆς καὶ σέβασμα Paulinum, saevisse & crudele Dominium exercuisse: Hos qui se Zelotas dixerint inter Iudaeos, pulchro nomine, re mala, esse intelligendos putat CLERICVS. Verum rursus erat oblitus, versari se in ea sententia, agere hoc caput de ultimo iudicio; ita initio commentationis adversus Hammondum explicat: verba sunt: *Ostendimus ad superiorem Epistolam, loca quae noster ad excidium Iudaeorum trahit, optime intelligi de extremo iudicio. Itaque quod hic habet Paulus, eodem referendum est, cum ex occasione superiorum scriptum videatur.* Recte haec CLERICVS, sed excidit hoc proposito, dum pro signo diem extremum antecedenti venditat rebellionem Iudaeorum, quae ultra sequi mille annos nostra tempora antegressa est. Quis non intelligit illos tumultus equidem fuisse prognostica satis infelicia interitus Iudaeorum imminens, non vero esse signa diei extremae, de quibus hic loquitur Paulus? Ad scopum itaque suum cum non respiciat Clericus, non mirum est, quod una manu nobis veram, altera falsam textus interpretationem largiatur. Si enim textus de die extremo agit, longe aliorum tendent characterismi, quam quidem ad rebellionem Iudaeorum, quae parum ad Thessalonicenses seu Macedonas faciebant; Nec eos turbare aut etiam erigere poterant, postquam norant, non Hierosolymis, sed ubique Deum in spiritu & veritate esse adorandum. Imo si quando de lapsu ac interitu Iudaeorum ad gentiles! conversos scribit Paulus, potius metum excitat, ut caveant, ne sibi quid simile eveniat, quam ut eos solatus fuerit, quod ex Epistola ad Romanos c. XI. 20. satis apparet; hic vero in nostro oraculo ad oculum patet, potius eum metum temperare velle, ob iudicium imminens hominibus, adscri-

ptis

pris & suppeditatis signis, quae si omnibus conspicua esse debebant, non oportebat in templo Judaico, sed in medutullo velut Ecclesiae Christianae ob oculos omnibus & singulis esse reposita, atque ad spectandum repraesentari.

§. XXV.

Alius itaque longe est Anti-Christus, quam novitatis amantes nobis eum depingunt: Ne enim nos fugeret aut lateret, scribit Apostolus, *debere eum ante adventum Christi ad iudicium manifestari*, non enim dicit instare adventum Christi, *εἰ μὴ ἀποκαλυφθῆ* nisi prius revelatus fuerit homo peccati, nimirum *in dividuus quidem sed successione alius, aliusque*, una tamen methodo gaudens ad persequendos veros confessores fidei sincerae. Sic temperat metum Apostolus in animis Thessalonicensium, ut postquam manifestatus fuerit homo ille peccati, non aliud signum extantius dicat superesse, sed tum instare diem extremum, etiamsi non mox eodem anno aut etiam seculo irruat. Distinguit itaque Apostolus *dominationem* Anti-Christi ab eius *manifestatione*. Potuit Anti-Christus adventus sui *semina spargere* jam Pauli tempore, imo non diffitetur mysterium iniquitatis iamtum clanculum se exeruisse, vers. 7. potuit etiam dominatus ejus paulatim in ecclesia *invalescere ac radices agere*, imo publice *exhiberi & exerceri*, nec tamen satis *animadverti*, aut etiam *detegi ac manifestari*; Ratio est in promptu: aderat enim *ὁ κατέχων* v. 7. potentia omnes in obsequio retinens, & tum oculos occoecans & fascinans, ut animadverti calliditas daemonis, pulchra specie obtecta, non potuerit: tum calamos & ora obstruens, & libertati viam omnem praecludens, ut quae animadvertabant confessores, exponere metu periculi non audent: Potuit, ut diximus, dominatio illa per aliquot secula ecclesiam Dei premere, nec tamen publice manifestari aut a quoquam invadi: & non nisi debito tempore, quod Paulus sub
voca-

vocabulo τότε innuit v. 8. Illa manifestatio atque detectio, a Viris divinitus ad id munus delegatis, suscipi ac institui. Potuit etiam illa ipsa manifestatio gradibus certis gaudere, ut velut post tenebras diluculum auroram antecedit, aurora diem: ita nonnulli inter medias tenebras spargere lucem de libertate evangelii asserenda, & confessionibus suis satis adhuc fermento infectis, prodire paulatim & emergere ex nocte Cimmeria: alii deinceps eluctari magis magisque, & publice veritatem asserere ac tueri, velut in diluculo quodam, ita ut plena lux non dum affulgeret, quoniam confessores ipsi quasi in herba poterant suffocari; tandem alii, jubente ita benignissimo Numine, poterant perficere opus tantum revelandi Anti-Christi, atque ea, qua par erat, Spiritus alacritate, doctrina, pietate & precibus & exornati & instructi, machinam tantam aggredi, & spiritualiter destruere, monstrare hoc est, & signis suis genuinis depingere, ut cuilibet, qui animum pie attendit, dignoscere verum a falso, Christum ab Anti-Christo possit: idque tanta libertatis & immunitatis praerogativa, ut etiamsi hostes omnem vim animi & armorum conversuri essent eo, ut Confessoribus piis obstruerent ora, & veritatem quovis modo impedirent: nihilominus cum stupore essent animadverturi, quo magis ad eam eradicandam vires intenderent, eo firmiores radices agere, atque ubivis locorum, vel invitis ipsis, longe lateque amplificari.

§. XXVI.

Hoc est τὸ ἀποκαλυφθῆναι Paulinum, quod si recta ac justa meditatione evolvatur, facile nunc intelligi potest, quemadmodum Apostolus hoc oraculo metum non modo in Thessalonicensibus ortum temperare atque in ordinem redigere potuerit, verum etiam praecavere nobis, ad quos illa tempora, de quibus vaticinatus est divinissimus Apostolus, omnium confessione pertinent, nec aut metum nimium incuti, aut omnem excuti, & securitatem aliquam conciliari nobis patiamur: Quaestio enim nunc non amplius institui potest: *An Anti-Christus dominium,*

E

minium,

minium suum exercuerit, & ea ratione, quam Paulus hic per aliquot commata describit, ecclesiae Dei satis gravis fuerit? Sed potius: An unquam *manifestatio talis*, qualis jam a Paulo delineata est, suscepta fuerit, nec ne? Quod si hanc factam fuisse certo constet, ex illa etiam manifesto constabit, quem pro Anti-Christo habendum & agnoscendum Paulus censeat? Nunc vero gradualem illam manifestationem a quadringentis abhinc annis intercessisse nemo, nisi plane hospes historiae rerum in ecclesia gestarum differi aut ignorare potest. Erat sane aliquando tempus, ubi noscent Patres, *quid* esset Anti-Christus, idque ductu scripturae: nondum autem cognoscerent, *quis* sit Anti-Christus, necdum enim apparuerat, in quem omnes characterismi congruerent. Erant vero sequentia tempora eo clariora, ubi non saltem ex vaticinio, verum etiam ex ejus complemento non modo conjecturam, sed firmam licebat conclusionem capere, cuinam notae Anti-Chri convenirent: Et quo copiosior illa impletio facta est, eo facilius licet hac de re iudicium instituire: Ita ut nostro tempore vaticinium illud Paulinum etiam quoad τὸ ἀποκαλυφθῆναι sit exacte repletum, quando non modo diu ante D. Lutheri tempora in plusquam Aegyptiis tenebris digito velut ostensus est, si vel unum BERNHARDVM MORLANENSEM evolvas: verum etiam deinceps a Job. HUSSO & Ottone Brunfelsio imprimis, ante Lutheri itidem tempora revelatio clarior: Clarissima tandem per LUTHERVM ipsum & denique MARTINVM CHEMNITIVM aliosque peracta est; ut in hac manifestatione secure acquiescendum putemus, & praecipue ubi ex adversariis ipsis B. GERHARDVS tot testimonia hujus revelationis excerptit, nullis aliis aut novis armis opus habeamus, quicquid etiam de injuria sic illata conquesti sint HELFRICVS HVNNIVS aliique, quam tamen amoliti sunt nullo negotio VALENTINVS BVLLENIVS, & NICOLAVS HVNNIVS, ille ex fontibus juris, hic ex fontibus scripturae. Litem sane hanc cum Apostolo nostro conficiendam habent, qui characterismos illos, quos nostri Confessores adhibue-

runt,

runt, tanta cum luce atque apparatu suppeditavit, ut videntibus invite non liceat cœcutire: Ablegamus cœterum Lectorem ad librum eruditum ISACCI FROEREISENII, Theologi Argentoratensis, quem sub Anti-Christologias nomine A. 1624. edidit. Cui addendi ex Reformatis DANAËVS & HEIDEGGERVS, pluresque alii.

§. XXVII.

In Pseudo-Apostolorum itaque vestigiis insistent, quicumque demum, sicut isti intempestivo metu quondam terruerunt fidelium animos, ita variis hodie modis justissimum piisque metum de appropinquante illo die iudicii excutere conantur; in quorum numerum referre nos jubet veritas tum Pontificios, tum Fanaticos varii generis, utrorumque causa quaedam adhuc *πορισματικῶς* ex oraculo nostro adducemus. Excutiunt illi metum per varias commentationes de Anti-Christo nunc ex tribu Dan, nunc ex Gog & Magog oriundo, nunc etiam de Apostasia quadam & singulari defectione populorum ab imperio Romano, quam insequi tandem debeat ortus & manifestatio Anti-Christi. Si vero post illam defectionem debebat oriri Anti-Christus, sane dudum ante multa secula ortus est, quae enim potest alia defectio fieri, quam quidem facta est seculo III. IV. V. & sequentibus, ubi sane inter tot tumultus ac turbas gentium excludi felicissime potuit partus ille. Defectionem vero & revelationem factam fuisse antea confecimus, annon enim res patet ex ipsis filiis ecclesiae Romanae, inter quos ex seculo XII. referre possumus JOACHIMVM Abbatem de Curacio, ordinis Cisterciensis, qui ad Richardum I. Angliae Regem literis professus est Anti-Christum jam in civitate & sede Romana natum esse, & de illo Anti-Christo loqui Apostolum; quod ex ROGERO de Ho-
 Mont. Piet. P. 182.
 VEDEN, nobis suppeditat ASCIANVS. Ex seculo XIII. ROBERTVM Epi-
 scopum Lincolnensem, qui hanc confessionem coram multis clericis edidit, recensente rem MATTHAEO Parisiensi, in Historia Angli-
 ad A. C. 1253. P. 585.
 cana Henrici III. qui eum nominat, *Papae redargutorem manifestum, Romanorum malleum & contemptorem, incontinentium persecutorem, & quod caput est, scripturarum sedulum perscrutatorem*, post cujus

p. 314. 316.
348.

mortem melos dulcissimum in aethere auditum fuisse, testimonio virorum gravissimorum Parisiensis enarrat. Possemus per secula progredi & manifestationem ostendere, nisi id ipsi nostri Libri Symbolici satis clare evincerent ac demonstrarent, in quibus cum primis Articuli Schmalcaldici clarissimam confessionem edunt, quam mente tota amplectimur & rati habemus.

§. XXVIII.

Non melius rem suam agunt *Fanatici homines* qui aut in-tempestivum metum diei extremae hominibus incutere audent, aut plane eos omni etiam sancto metu privare. Ad priorem classem pertinent, qui ita *in computandis annis & diebus* se certos esse vel jurejurando evincere ausi sunt, & idcirco non raro tres illos modos, de quibus oraculum agit, in praxin vocant, ut aut ex spiritu, aut sermonibus, aut epistolis seu scriptis & contestationibus divinis talia se hausisse affirmant. Vidit tales conatus nostra praesens aetas, & qui omnia reliqua pro fabulis habere solent, fuisse tamen tales Fanaticos sub pulchro tegmine reconditos, diffiteri plane nequeunt. Spectant huc Visiones variae, ut *WARNERI* aliorumque deinceps recentiorum, quae adhuc inter homines credulos sparguntur, & inter Eleusinia sacra referuntur atque absconduntur, in quibus anni, atque dies fere & momenta rerum futurarum praedicta jactantur: Sane si quis *WARNERI* visiones vel semiapertis oculis perlustret, audaciam hominis & ineptias non satis mirari potest, simul vero obstupescere cogitur, quod viri coeteroquin sapientes somniis istis ullam praebuerint fidem atque assensum. De Viris coeteroquin Orthodoxis, qui computum diei extremae voluerunt exactum struere, alibi actum; Vel pia alias meditatio *PHILIPPI NICOLAI*, quam nihilominus eventus frustratus est, alios commonere debebat de computo ejusmodi intermittendo. Nam etiamsi certum sit post manifestatum jam Anti-Christum diem extremum absque notabili alio signo spirituali adventurum; qua vero mora interjecta illud futurum sit, inter τὰ ἀνεξέπευνητα ἢ ἀνεξίχνια Dei repositum manebit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Ad posteriorem classem referendi, qui *annis mille Apocalypticis* perperam intellectis & applicatis, interstitium adhuc ingens, ἀγχαΦορ tamen, imo etiam ἀντίγχαΦορ inter manifestationem Anti-Christi, & diem extremum formant, imo post Chiliadem illam annorum Anti-Christum orientalem reponunt; quando tunc demum Gogum & Magogum saevituum in terrarum orbem, nec non draconem persecutum fideles statuunt; quae ordini postremorum temporum in hoc oraculo nostro & aliis locis Paulinis plane repugnant, ubi pessimis temporibus superaddenda promittitur aeternae vitae gloria, nullo alio intervallo posito sub iudicis adventum infecutura. Peculiaris sane metamorphosis est, & non ferenda, diem extremum de Chiliastico Christi adventu, subtilissimo etiam quicumque sit, modo, interpretari: Ille enim adventus Christi debet *occidere* Anti-Christum, & omnes hostes ecclesiae verae: In illo vero adventu fictitio *non opprimendi* sunt: Surgent enim de novo atque eo crudeliorem ludum agent, ut merito Theologus optimus SONTAGIVS inter entia rationis Theologica tales cogitationes referat. Non expendemus hic argumenta fanatica, quae a quibusdam expoliuntur, ut nitidiorem formam acquirant, sufficit nobis, pertinere eiusmodi doctrinam ad eam classem, quam in textu profligat Apostolus, ne animos nostros pervertant, & aut ad metum illicitum aut securitatem deducant. Cui enim non dictus hic Hylas?

Diff. de Entibus rationis Theol. pag. 35.

§. XXX.

Aliam a reliquis Fanaticis viam, non vero meliorem, sed multo pejorem, iniit Franciscus Mercurius van HELMONT, Iohannis Baptistae Helmontii, Philosophi illius per ignem, ut sibi nomen tribuit, filius, qui in libello execrabili, quem Seder Olam nominavit, ante paucos annos praeter errores alios infaustissimos, hunc etiam exclusit, ut *crassum millenarium* statueret, in quo *omnes sancti excitandi sint, qui unquam vixerunt a primordio mundi, ut vivant sanctissimam & beatissimam vitam super terram ad spatium mille annorum, (p. 46.)* ejusque initium collocat in Annum Christi 1777. in quo regnum Anti-Christianum, *cum 4. Monarchiis & omnibus regnis mundanis finiendum sit, & incipiat regnum Christi & Sanctorum in terra universa.* Quo exacto Gog & Magog se congregaturi sint adversus sanctos, ut eos occidant. Haec & alia monstra superstruit *revolutioni animarum, quae per multa secula redeuntes*

deuntes in alia corpora aut premia aut poenas in hoc orbe experiantur: Hinc istis tandem omnes in gloriam post repetitam purgationem restituendas esse, poenasque ipsas potius vera divini amoris esse signa, quoniam sic ex peccatis redimantur & liberentur. Revolutio illa animarum, quam pro mysterio venditat, praeterquam quod integram pene Scripturam evertat, nostrum oraculum sibi e diametro contrarium habet, quod diserte Theffalonicensibus suam mentem & suum sensum tribuit; per Helmontii vero revolutionem nemo suam mentem, nec etiam suam animam, sed alterius, qui jam olim diem suum obiit, animam & spiritum possideret, putat enim se satis demonstravisse, vixisse nos omnes aliquoties in corpore carnali etiam a multis annis & annorum seculis (p. 51.) Sic jam olim animam hominis peccati & filii perditionis quispiam possedit, aut unus aut plures, adeoque jam olim fuit, antequam esset, & in multis aliis jam vixit; quae omnia ἀτοπα sunt, & nec cum Scripturae veritate, nec cum ratione consentiunt; Sic anima illius duodecies rediit, & tandem ad vitae aeternae gloriam transibit, quod directe Paulo contradicit, qui eum υἱὸν ἀπωλείας nominat, & damnationi adjudicat, nullamque spem salutis facit. Hi tres gravissimi & infandi errores, Chiliasmus, quem fovet, crassus, μετεμψύχωσις ultra Pythagoricam stolidi, & tandem liberatio animarum ac Dæmonum ex inferno, adeo illum libellum infamant, ut nonnullorum causa, qui talibus delectari solent, futilitas & vanitas rationum non inutiliter ob oculos aliquando poni mereatur. Quaedam etiam Abbas Mariaevallensis D. D. Ioh. Andr. Schmidius eruditissimo schediafmate est executus, ad quem tantisper Lectorem ablegatum volumus.

SOLI DEO GLORIA.

CLARIS-

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
M. JOH. JACOBO *Rühr*

SALVTEM ET FAVSTA QVAEQVE
PRECATUR

PRAESES.

DVM TE alloquor, facere me istud cum quadam insigni animi voluptate haudquaquam diffimulo. Ita enim rationes vitae ac studiorum TE iniisse haectenus penitus cognovi, ut dum gratulatione mea ad laetandum TE compello, eximio quodam gaudii sensu simul ipse afficiar. Pulchrum sane est, Parentis vota explere, respondere monitis, honestate morum, pulchritudine conatum, & ipsis etiam divinae sapientiae documentis optimo cuique se approbare. Fecisse TE isthaec omnia, non blandiendo, qui mihi mos a primis pueritiae annis nunquam fuit, verum ea, quae certa mihi & explorata sunt, testando confirmo, optima-
que

que exinde auguria capio, TE aliquando, in ea statione, in quam TE DEUS collocabit, non fore unum ex tyronibus, sed triarium, qui res suas ex veteri Romanorum formula, ubi ad eum redierunt, fortiter ac strenue est acturus. Non enim cortice virtutis & scientiae contentus, adire ipsa penetralia non raro voluisti, & quid etiam in recessibus lateret, exquirere, tum propria industria, tum optimorum Virorum, & meis denique quibuscunque consiliis, adjutus. Hoc sane argumentum satis difficile Tibi visum fuit dignum, in quo ingenii Tui atque copiarum Tuarum vires explorares & explicares: quod exercitatissimos etiam exercere possit: eoque major virtus est, eniti in arduis, quam applicare, aut consumere potius atque atterere animum rebus vanis nulliusque momenti. Gaudii mei participem, imo exquisitiori adhuc laetitia plenum, mihi praefiguro Venerabilem Tuum PARENTEM, qui in TE velut omnem spem curamque reposuit, ita TE eam non fefellisse, sed explevisse cum foenore, Numini fert acceptum; TEque ideo paterno ac tenero amore, precibusque piis absentem adhuc prosequitur, gratulabundus vero & hilaritate Paterna, id est summa, adventantem te propediem excipiet. Quae dum scribo, TECUM me loqui reminiscor, qui abitum a nobis paras, & cui vota sincera tum publica tum privata denegare non possum. His sicut TE comitabor abiturientem: Ita illarum testem hanc chartam esse volo, Deumque ex animo precor, ut successus Tibi ubique fortunatos largiatur, incolumemque Parentem optimum, Virum mei amantissimum, fervet, ut ex Tuae fortunae incrementis largissimus semper ad Eum gaudii cumulus redire possit. Ita enim precari & aequitas & amor mutuus poscit. Dabam e Museo

d. XVIII. Apr. MDC CXI.

Coll. diss. H, 157, 8